

† R. P. Augustinus Dooper.

(*Prov. Baltim.*)

† R. P. Augustinus Dooper.

(*Prov. Baltim.*)

Nuntio de inopinata morte carissimi huius confratris, qui Baltimorae die 19 ianuarii a. 1924 vita cessit, luctu ubique nostri affecti sunt. Inter primores enim provinciae Baltimorensis sodales numerandus est, cuius de provincia totaque Congregatione parta merita digna sunt, quorum cum laude magna recordemur.

Augustinus Dooper natus est Neo-Eboraci die 9 aprilis a. 1854. Puer sagacitate et discendi cupiditate inter sodales eminebat, cumque mature ingenii facultates non communes in eo conspicerentur, magistrorum oculos animosque in se convertit. Postquam ad s. communionem in ecclesia nostra ad SS. Redemptorem accessit, in collegio primum S. Francisci Xaverii

apud Patres Societatis Iesu, deinde in seminario minore PP. Sulpicianorum prope Baltimoram in studia humaniora classicaque incubuit, quibus ad ingressum in Congregationem se praepararet, ad quam a Deo se vocatum esse aperte cognoverat. Qua re parentibus, qui spem suam omnem in unico



filio reposuerant, onus eo gravius imponebatur, quod filia unica eandem vitae religiosae semitam ingressa est apud moniales S. Ursulae. Sed parentes piissimi, sacrificium quamvis grave in se susceperunt, nec voluntati divinae manifesto cognitae restiterunt.

Itaque juvenis Augustinus viginti annorum Annapoli in novitiatu S. Alphonsi veste indutus est eiusque die festo a. 1875 votis religiosis Dei servitio se consecravit, quo facto, cum studiis prioribus bene praeparatus esset, statim ad theologiam transire potuit, in qua percipiendi celeritate et difficultatum solvendarum facilitate magistrorum admirationem movit.

Ilchestriae in studentatu die 7 iunii a. 1879 sacerdotio auctus, cum alterum novitiatum Bostoniae absolvisset, in missiones exire coepit, sed mox a superioribus ad docendi munus vocatus est, ad quod exponendi dexteritate et dicendi claritate aptissimus esse videbatur. Res eventu probata est.

In studentatu Ilchestriensi ab anno 1884 philosophiam physicamque magno cum successu docuit, cum studii discipulorum excitandi arte optima potiretur. Anno 1890 in nominatione triennali Rector simul et juvenatus Director in domo North East constitutus est, in quo munere usque ad annum 1898 perstitit et non solum magnae domus juvenatusque negotia gessit, sed etiam scholas habere voluit.

Mense aprili a. 1898 Neo-Eboracum vocatus est, ut domus B. M. V. de perpetuo succursu Rectoratum susciperet. Sed in studentatu Ilchestriensi lector deerat theologiae dogmaticae, nec Provincialis aptum quemquam invenire potuit nisi Patrem Dooper, qui hunc laborem subire posse videretur. Quam difficultatem suam cum Patri Dooper exposuisset, Rector animo promptissimo respondit: « Ecce ego, mitte me! » Et dimisso Rectoratu ad theologiam dogmaticam docendam se cinxit. Anno deinde 1907 Ilchestriae Rector creatus est, at simul cum studentatu in novam domum Esopensem migravit, quam die 23 octobris regendam suscepit. Sed etiam dilectam suam theologiae dogmaticae cathedram retinuit, donec a. 1910 Consultor provincialis constitutus Baltimoram primum et a. 1913 cum provincialatu in Brooklyn migravit. Cum Consultor esset, P. Provinciale Iosephum Schneider Romam negotiorum tractandorum causa proficiscentem comitatus

est. Qua erat peritia prudentiaque et iudicio sano, in Consultoris munere plurima optimaque eius opera fuit. Quidquid autem agere coeperat, id tenacissima et accuratissima diligentia egit, numquam iners otiosusve, semper rebus utilibus intentus.

Brooklynii praesertim in confessionali diligentissime laboravit. Anno 1915 Bostoniam missus in confessionali iterum assiduus fuit atque in domibus religiosarum tamquam vitae spiritualis moderator acceptissimus multum laboravit. Sed in his laboribus dilecta sua studia numquam oblitus est et ad scribendi quoque studium se contulit. Directorium porro officii divini provinciarum Americanarum componendi onus in se suscepit.

Anno denique 1921 cura spiritualis sororum ludimagistrarum a Domina Nostra nuncupatarum in domo materna novitiatuque Baltimorensi ei commissa est, quod munus studio vere apostolico suscepit et usque ad vitae suae finem retinuit. Simul vero perpetuam operam in confessionali tum in ecclesia nostra parochiali, tum in hospitali S. Ioseph praestare non destitit. Et quamquam concionandi facilem usum et experientiam in muneribus suis scholasticis non exercuerat, tamen ad sorores religiosas statutis temporibus sermones habere non omisit, praemissa sane etiam in summa senectute diligentissima et accuratissima praeparatione, quam scripta ab eo relicta optime testantur.

Mense decembri a. 1923 in valetudinarium se contulit sectionis chirurgicae causa, a qua mirum in modum celeriter convalescere visus est, ita ut quotidie ad altare accedere posset. Quod cum etiam die 19 ianuarii facere vellet, subito viribus destitutus est. Et cum medicus vocatus periculum extremum imminere edixisset, aegrotus a P. Heinrich, qui tum ad s. sacramenta aegris administranda aderat, s. viaticum et extremam unctionem libentissime suscepit. Renovatis deinde votis suis religiosus ipse ad preces in commendatione animae recitatas respondebat, donec sine animae collucatione difficili morte placidissima spiritum Deo reddidit.

Funeralia eius Pl. R. P. Consultor generalis Fidelis Speidel, qui tum ipsum Baltimoram advenerat, coram Archiepiscopo egit, qui ipse absolutionem ad tumbam dedit. Ecclesia tum sacerdotibus sororibusque religiosis, tum populo repleta erat animam defuncti sodalis nostri carissimi Deo precibus commendante. In coemeterio SS. Redemptoris sepultus est iuxta tumulum Rm̄i Archiepiscopi Gulielmi Gross C. SS. R.

P. Dooper vere Redemptorista dici potuit genuinus pleno vocis huius sensu. A novitiatu usque ad ultimum halitum numquam vitae religiosae spiritu laxari visus est, cuius rationem in novitiatu perceptam semper fide inconcussa retinuit. Religiosissimae in omnibus exercitiis a regula praescriptis diligentiae, observantiae accuratissimae, fidei omnes vitae actiones animantis, pietatis virilis fortisque, solidae virtutis, teneri erga Congregationem amoris signa indoli ac vitae eius impressa erant.

Cum rem familiarem haud mediocrem haereditate accepisset, semper tamen modestus fuit et religiosae paupertatis amantissimus. Fallaciarum simulationumque expers animum integrum incorruptumque servavit. Qua erat indole probissima, quod rectum esse existimabat, firmiter tenere ac defendere solitus est, sed numquam inde discordias oriri passus est atque benevolentissimo semper in omnes confratres animo fuit. Erga extraneos affabilis humanusque fuit et aliquando etiam timidus videri poterat, numquam vero dignitatis sacerdotalis honorem diminui passus est. Modestiae eius potius honor deferebatur omni procacitate deposita. Sensui mundano numquam concessit, sed eum aspernatus numquam nisi coactus in publicum prodiit, exemplum se praebens hominis a rebus terrenis abalienati.

Dum superior erat, cum ipse regularum observantiae omnibus facem praeferret, idem ab omnibus etiam scrupulose requirebat, quare superioris munus oneri potius habuit quam honori gavisusque est, cum illud depone-  
re potuit.

Cum ingenii doctrinaeque causa magni apud omnes esset, maiorisque etiam ob humilitatem suam haberetur, nihil in eo umquam erat vanae gloriae, neque eos, qui ingenio debiliore erant, spernere visus est. Oboedientia eius exempli instar erat. Sensu suo libere aperto semper prompte et sine retractatione iudicio auctoritatisque superiorum se subiecit, quorum etiam minimis nutibus paruit.

Qui per annos undequinquaginta vitae religiosae in Congregatione nostra perque annos quadraginta quinque sacerdotii semper dignus fuerat filius S. P. N. Alphonsi, tamquam haereditatem pretiosam reliquit vitae confratribus, Congregationi, ecclesiae ac Deo penitus devotae memoriam, quae semper apud nos servabitur. R. i. p.!